VOMITUS ADUMBRATIO PATHOLOGICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

A. D. XXVI. M. MAII. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS IOANNES PALM

TREVIRO - TREVIRENSIS.

OPPONENTIBUS

GEORGIO GUILELMO DYNNEBIER MED. DOCTORE.
CAROLO AUGUSTO WAIZ MED. DOCTORANDO.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

VIRO

GENEROSISSIMO ILLUSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMO

EDMUNDO

COMITI DE KESSELSTADT

ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE SECUNDA EQUITI

COLLEGII HERBIPOLITANI OLIM, PASSOVIENSIS, ET

EICHSTADIENSIS CAPITULARI

VIRO

ERUDITISSIMO SAPIENTISSIMOQUE

HINC

ARTIUM LITTERARUMQUE AESTIMATORI ET

PROPUGNATORI IUSTISSIMO

PATRONO ET FAUTORI SUO

PRAE CETERIS COLENDO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

EA QUA PAR EST DEVOTIONE AC REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

More maiorum, qui summos in medicina honores in se conferendos concupiscit, publice ostendere debet, se dignum esse, qui in numerum medicorum eruditorum, atque rationalium recipiatur.

Quomodo autem tale dignitatis suae testimonium melius exhibere possit, nisi sententias suas de re aliqua ex largo medicinae thesauro desumta litteris mandaverit, atque publico eruditorum examini submiserit?

Ita enim palam testatur, se litteris excultum esse, licet nil novi protulerit. Quidnam scilicet tiro novi veritate ornati producere posset, qui experientiā medicinae parente, etiamnum docendus est?

Equidem nunc quoque coactus, ut aliquid de re doctrinam medicam spectante scribam, post longam meditationem consilium cepi, brevem ex-

positionem de vomitu tradendi, morbo tam frequenti, saepius symptomate ancipite, quem olim in Italia inter exercitus Franco-Gallicos, et Austriacos saevientem vidi, ex usu fructuum recentium immodico natum. Quibus praemissis, ut electionem argumenti huius ad dissertationem meam excusarem, de quo tam multum iam scriptum est, ad rem ipsam venio.

De Vomitu.

Generalia.

Omnes corporis humani morbi ad varias classes reducendi sunt, quas aut natura, aut sedes morbi in quodam systemate organorum indicat. Secundum hoc dividendi principium vomitus ad tres morborum classes numerandus videtur, ut puta: ad neuroses, ad profluvia, ad morbos organorum digestioni inservientium. At id obiter consideranti tantum ita videtur. Character quidem morborum nervosorum est turbatio functionum systematis nervosi; profluviorum, excretio humoris cuiusdam animalis praeternaturalis; organorum digestionem administrantium est, quaecunque affectio, quae functionem horum turbat; at enimvero vomitum sane morbum esse nervosum, facile intelliget, qui naturam ac phaenomena huius

mali accuratius consideraverit, cui in mentem venerit, excretionem cum vomitu semper coniunctam, esse effectum morbi, non morbum ipsum, quem tandem non fugerit, organa sic dicta digestionis non systema proprium referre, ideoque classem morborum propriam non constituere. Vomitus igitur morbus est nervosus, quia phaenomena eius nos docent, functionem nervosam ventriculi esse laesam, scilicet motum, et sensum eorum alienatum esse.

Definitio diagnostica.

Vocatur autem vomitus: convulsio ventriculi, intestinorum, oesophagi, atque musculorum abdominalium, comitante nausea, violentaque expulsione solidorum ac fluidorum, quae in ventriculum, et intistina ingesta, vel ibi secreta sunt per os, vel etiam nares, ut verba mutem, motus antiperistalticus ea, quae in statu sano deorsum evacuantur, sursum reiiciens, atque sensum ingratum, nauseam dictum excitans vocatur vomitus.

Differt igitur vomitus ipse a solo vomendi conatu, quem vomituritionem dicunt, altiori nau-

seae gradu, haud sequente reiectione contentorum. Differt a ructu aëris, aut similis huic materiae subtilis, sonora per os veluti explosione, etsi haec vomitum saepissime praecedat, vel comitetur. Differt a ruminatione, morbo rariore, cui desunt nausea, anxietas, et impetus, symptomata vomitus propria, nec ad vomitum revocamus dysphagiam, reditum ciborum, potuumve ex solo oesophago modo spastice constricto, modo ab aliis causis occluso. Nec cholera cum vomitu permutanda est, qua contenta intestinorum per os et anum cum impetu expulsa videmus. Cholera est vomitus cum diarrhoea coniunctus, ideoque duplex morbus, eoque a solo vomitu valde diversus. Neque tandem singultus pro vomitu est habendus, sola convulsio oesophagum, ventriculum, et diaphragma sursum trahens, cum subsequente convulsione easdem partes deorsum vertente.

Differentiae.

Ut nullus morbus simplex est dicendus, quoniam nullus eodem modo, ex iisdem causis eodem decursu, eodem typo, iisdem effectibus apparet, ita vomitus varias differentias agnoscit. Nunc

etenim passu celeri acutus, nunc lento, chronicus, incedit, nunc primarius, idiopathicus, localis — nunc alterius morbi lege symptomaticus vel ex solo censensu sympathicus, antagonisticus, oritur, nunc sine typo anomalus, nunc certo tempore, periodicus, habitualis revertitur, vel et arte efficitur artificialis. Haud raro in aegri salutem vomitus nascitur, quem criticum vocamus sive salutarem, sic tamen, ut animo bene notatum habeamus, vomitum revera rarissime criticum esse, scilicet, qui stadio febrium critico superveniat. Ratione materiae e ventriculo eiectae vomitus dividitur in: serosum, pituitosum, saburralem, biliosum, verminosum, faeculentum (miserere, ileus), cruentum (haematemesis), acidum, amarum, putridum etc. etc. etc.

Symptomata.

Prodromi. Vomitum instantem annunciant: sensus in ore, faucibus, et ventriculo molestus, nauseâ magis magisque aucta, ardor, oppressio in regione epigastrica, expiratio frequens, facies pallida, aliquando horror, et oscitatio, tremor labii

inferioris, singultus, tussis, ructus, anxietas, alvi obstructio. Vomitum statim erupturum esse, arguunt vomendi conatus frustranei, sub quibus ventriculus quasi sursum commoveri sentitur, contractio, et relaxatio musculorum adominis alternans, spiritus retentio, inferiorum ad diaphragma depressio, anxietas ingravescens, sudor, praesertim ad frontem erumpens frigidus, lacrymatio, rubor, et tumor faciei, tussis aucta.

Vomitus eruptio. Non sine sensu tandem violentae convulsionis ad ipsum ventriculum, sub artuum tremore, iactatione, sub ventris tanta constrictione, ut ipsa interdum insestina eundem deserere, ac herniam formare cogantur, largo hic profluvio res, quas continet, per os, neque raro per nares simul sub longa, et sonora expiratione cum impetu expellit; primum, nisi pleno ventriculo, fere insipida, serosa, pituitosa, postea viscida, ciborum reliquias, mox, novo celeriter in pectus ducto spiritu, novoque ventriculi impulsu, subflava, amara, viridia. Succedit nunc quies, et levaminis sensatio. Sed post brevem moram, nisi causa malorum iam reiecta, cessante sub iisdem fere symptomatibus, novus vehementior redit vomen-

di conatus, maiorem praecordiis inferens angustiam, — deinceps cetera.

Haecce comitantur vomitum symptomata, plus minus graviora, et varia pro aetate, constitutione, sexu, causa, in ipso ventriculo, vel alibi haerente, pro celeri, aut lento, aut periodico decursu. Sic in gastritide, vel blandissimis, quamvis liquidis inflammato ventriculo immissis, sub vehementis ardoris, dolorisque sensu hic illico ad vomitum convellitur. Aliter in chronico peragitur res vomitu, ubi ventriculus cibos non ubique recusat, sed exigit interdum, imo per dies, per menses aliquot illaesus recipit, usquedum dato tempore, quo superest ex illis impatiens repellat. Ad hunc vomitum chronicum periodicum, certo typo quibusdam ex causis occasionalibus, praesertim si dispositio ad symptoma hoc singularis adest, redeuntem pertinet. Vomitus, qui ob nimiam ciborum copiam pinguium, rancidorum, crudorum, acidorum fermentatorum, vegetabilium, etc. pridie ad noctem assumtum, altero die plerumque horas circa matutinas invadit, progrediente salivae, ac crassioris pituitae expuitione, ructu frequente, nausea, maiore in praecordiis angustia, et ardore, postremo vero aquae limpidioris, fere crystallinae, insi-

pidae, vel nonnunquam acidae, vel amarae sub vomendi conatu per oesophagum ex faucibus ad unam, alteramve unciam ascensu. Vomitus certo temporis spatio post coenam redit, si causae adsunt continuae, quae ventriculum, et intestina comprimere queunt, et dilatationi harum partium obsunt; huc pertinent induratio membranarum ventriculi, tumores scirrhosi, cystici, aliusque generis in ventriculo, praesertim prope pylorum, obstacula in intestinis, ut emphysema, volvulus, glomerulus corporum durorum ingestorum, compressio a fracta cartilagine xiphoidea, fracto sterno, fractis costis, tumoribus viscerum tubo intestinali adiacentium, ut lienis, hepatis, pancreatis, mesenterii, mesocoli, a calculis biliariis, ab aneurysmate ventriculo, et intestinis contiguo etc. etc.

Uno quasi cum impetu absolvitur vomitus sine doloris, aut ponderis sensu regionem epigastricam perstringente, praegressis autem frequenter ructibus, flatibusque foetidis. Si atonia ventriculi nimia a frequente repletione, et extensione eius ingente producta, causa est. Sed maxime chronicus est vomitus, qui a sensibilitate morbosa oritur; fuerunt, qui ultra annos viginti hoc morbo laborarint incerto tempore nunc post pastum, nunc nocte, nunc matutinis

horis invadens, quin tumor epigastrii, et tensio observetur. Pertinent huc vomitus à suppresso profluvio quodam, ab ulceratione ventriculi, a metastasi rheumatica, ārthritica in ventriculum, a graviditate, aliisque momentis causae nascens, quae lege antagonismi, ac sympathiae ventriculi sensibilitatem adaugent. Neque raro in febre intermittente vomitus observatur, qui typum huius sequitur.

Aetiologia.

Causa proxima vomitus, cum ipsa eius natura congruit, quam difinitione praemissa descripsimus. Est nempe, quasi revolutio ventriculi, cuius motus peristalticus inversus contenta sursum expellit. Quaecunque ventriculi nervos tam vehementer afficiunt, ut motus ille rebellis exoriatur, vomitum efficiunt idque eo facilius, quo sensilior est ventriculus. Constat eandem causam, quae in altero vomitum excitat, alterum vix ita afficere, ut nausea, vomendique conatus inde nascatur. Ut exemplo utar, tartāri emetici granum unum ventriculo infantis commissum jam vomitum efficere, nequaquam vero in adusto homine valet. Patet inde, causas vomitus, sicut cuiusque morbi esse dividendas in

disponentes, et occasionales, de quibus nunc speciatim agendum est.

Dispositio.

Quicunque homo dispostionem habet ad vomitum, quae nunquam ei demi, omnino vero augeri, vel imminui potest. At enim vero ceteris paribus in altero haec dispositio, quoad naturam eius maior est, quam in ceteris. Hic facilius, quam ille vomit. Momenta, quae ut experientia nos docuit, maiorem ad vomitum inclinationem inducunt, haec sunt: aetas infantilis, sexus sequior, temperamentum sanguineum, et cholericum, constitutio nervosa. Momenta dispositionem ad vomitum maiorem reddunt, praesertim potus tepidi, relaxantes, in universum victus luxariosus, quibus fibrae ventriculi languescunt, eiusque nervi mobiliores redduntur.

Momenta causae occasionalia.

Quae ita vocentur, ex modo dictis, jam satis apparet. Sunt autem momenta illa, quae vomitum producere possunt, tam innumera, ut operae

pretium sit, certos ordines constituere, ad quos omnia apte reduci possint. Qua ratione momenta causae ita optime dividanda mihi visa sunt:

Irritatio ventriculi idiopathica.

Ita vocamus eam, quae causis in ipso ventriculo haerentibus oritur irritatio, quaeque esse potest:

a. inflammatoria. Hanc excitant irritamenta varii generis, quin saepe summum gradum gastritidis attingentem irritationem. Pertinent huc primo: irritamenta exrerna ventriculo immissa eademque:

Partim dynamica, partim mechanica. Dynamica sunt ex regno minerali venena acria, ut: arsenicum album, mercurius sublimatus corrossivus, vitriolum cupri ac zinci, tartarus emeticus, butyrum antimonii, Kali causticum, sales quidam medii, nitrum, terra ponderosa, calx muriatica, alumen;

Ex regno vegetabili: cicuta, aconitum, nux vomica, mecereum, euphorbia esula, colocynthis, elaterium, helleborus, veratrum, et omnia medicamina emetica et drastica dosi maiore ventriculo illata;

Ex regno animali; cantharides etc. Mechanica sunt irritamenta qualiacunque corpora dura, acuminata, interiorem ventriculi superficiem laedunt, cum improvise deglatiuntur; ut v. c. acus spinae piscium etc. Inflammationem ventriculi, quam vomitus subsequitur, deinde et stimuli ab organismo producti, nec in eum ingesti efficere possunt, quo referendos puto secretos humores acriores, v. c. bilem, vermes, etc. etc.

Irritatio ventriculi spastica.

Quae efficitur:

a. Sordibus sic dictis gastricis, minus ab acribus, ut saburra, pituita, acido, vermibus; deinde quibuslibet cibis, potibusque ingestis, si maior et morbosa est sensibilitas ventriculi.

Cibi, et potus vel copia, vel indole peccantes ventriculum saepe vomentem reddunt, inprimis pingues, rancidi, crudi, tenaces, acidi, fructus recentes, potus fermentati, spirituosi, denique vitia organica ventriculi saepe sine alio momento causae occasionem dant, ut tumores scirrhosi, ulcera, indurationes membranarum ventriculi, pseu-

domembranae, varices, extensio, et relaxatio ventriculi nimia ex quacunque causa. etc,

3. Irritatio ventriculi consensualis.

a) Per antagonismum, materiae morbosae per metastasin ab altera parte organismi in ventriculum revulsae hunc rebellem reddunt, ut profluvia quaedam suppressa v. c. haemorrhoides, menstruatio, etc. metastasis arthritica, rheumatica, scorbutica, morbillosā, variolosa, erysipelatosa, suppressio ulcerum habitualium etc. de quibus copiosuis verba facere spatium vetat.

b.) Per sympathiam; de vomitu hic loquor nascente ab irritamentis, quae ventriculo ipsi quidem non insunt, sed alias partes obtinent, indeque ex lege sympathiae ventriculum afficiunt, quae affectio vocatur sympathica. Talis vomitus nasci potest:

1.) a vertigine, aliisque momentis, in corpore hysterico, hypochondriaco.

2.) ab imaginatione, affectione sensuum ingrata, fastidiosa.

3.) A motibus animi vehementibus, ut ira, terrore, moerore continuo.

4.) Ab extensione et tensione tubi intestinalis orta, ex flatibus, colica, ileo, cholera, enteritide, ulceribus, et indurationibus intestinorum, alvi obstructione, faecibus induratis, vermibus, volvulo, incarceratione.

5.) A morbis hepatis, ut inflammatione, induratione, suppuratione hepatis, calculis biliariis, spasmo ductuum biliferorum.

6.) A morbis splenis, pancreatis, mesenterii.

7.) A convulsionibus et inflammatione diaphragmatis.

8.) Ab irritamentis in viis lotii, renum et vesicae inflammatione, calculis.

9.) A compressione mechanica, quam fractae vel tumidae partes adiacentes in ventriculo efficiunt, ut fractura cartilaginis ensiformis, costarum, tumores scirrhosi, et aneurysmata maiora partium ventriculo proximarum.

10.) A morbis capitis, ut dolore, commotione, impressione, vulnere, inflammatione, suppuratione, hydrope cerebri.

11.) A spasmo universali in febre intermittente.

12.) A graviditate, partu, et aliis eiusmodi. Haec sunt principalia momenta, unde vomitus

plerumque nascitur; quae breviter enumerasse sufficiat.

Prognosis.

Vomitus plerumque symptomaticus est, rarius morbum per se refert. Amborum pericula ex causarum, quae illos excitaverint indole iudicanda sunt. Alia vero in genere ex vomitu discrimina sunt ab impetu, quem ille ipse visceribus, cavo cranii, thoracis, abdominis contentis, partibus aliis, vasorumque imprimis systemati infert. Unde varii effectus: apolexia, amaurosis, bronchocele, cynanche, raucedo, vitia pulmonum, oesophagi, herniae, prolapsus, abortus, sugillatio, aneurysma, varix, haemorrhagiae, sudores profusi, validaque totius systematis concussio nascuntur.

Vomitus chronicus a causis difficulter removendis rediens per se malum signum, quia nutritionem imminuit. Quo citius, et quo saepius mox a pastu hominem adoritur, eo magis nutritionem turbat, eoque magis nocebit. Quocunque autem ordine et tempore vomitus incedat diuturnus, motum intestinorum peristalticum infringit, aliorum obstruit, atrophiam, tabem, hy-

dropem, singultum ominosum, convulsiones, syncopen, mortemque inducit. Quo minus causam vomitus aut auferre, aut corrigere licet, eo certius haec mala succedent; hinc ille, qui ex vitio ut vocant locali, ex callositate scirrhosa ventriculi aut partis vicinae pendet vomitus, medelam fere nullam recipit.

A vomitu singultus, et oculi rubri malum. — Ab illo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium — malum.

Quoad materiae per vomitum expulsae qualitatem, fallax haud raro causae latentis suspicio et prognosis inde deducitur. Sane vomitus cruentus magis timendus, quam biliosus, utroque periculosior vomitus stercoraceus, qui pessimi ominis habetur, cessante abdominis dolore. Quae prodeunt non copia sunt aestimanda, sed num prodeant, qualia oportet, et facile ferat. Subinde vomitus in morbis a nimio systematis vigore oriundis proficuus, criticus. In perturbationibus alvi, et vomitibus sponte evenientibus, siquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert, et facile ferunt; sin minus, contra. In diuturno alvi profluvio detento sponte superveniens vomitus alvi profluvium solvit.

Cura.

Curāndi vomitus praecepta causarum suggerit cognitio. Sunt vero, quae omni sub vomitu valebunt, generales cautelae. Quandocunque vomitus hominem iam pridem hernia laborantem corripit, oportet loco, ubi exitus intestinis patet, per bracherium mature prospici, et cum toties ab hernia prolapsa nascatur vomitus, haec mali origo num forte adsit, nunquam non attentius explorandum erit.

Infantes teneri vomentes sub decubitu in cunis supino, nisi adstet, qui vomentibus succurrat, corpusque pronet, vel in latus convertat, interdum suffocantur. Similia adultis ab alio morbo diuturno, ac vehementi viribus iam fractis, ac semetipsos erigere, movere nesciis, si vomitus isto corporis situ contingit, instabunt pericula. Alvum quocunque sub vomitu apertam clystere servari, motumque intestini peristalticum revocare omissum, maxime subinde interest.

Jam de cura vomitus a certis causis orientis, disserere me oportet.

Vomitus consensualis symptomaticus.

Facile patet in omnibus morbis, ubi vomitus symptoma, resecta prius, ex qua illi succreverunt, radice, hunc sponte cessaturum esse. Vomitum a flatibus, colica, cholera, dysenteria, aliisque causis spasticis pro tempore antispasmodica opiata sedant, quae vero in morbis capitis, in morbis inflammatoriis, atque febrilibus nocent. Si vomitus gravidarum nimius abortum efficere potest, cortice peruviano, et moscho, et lapidibus cancrorum, emplastro antispasmodico in epigastrio ponendo sistendus est. In omnibus morbis, qui curationem non recipiunt, priusquam vomitus, cum iis coniunctus remotus est, ventriculum primo medicaminibus antispasmodicis, sedantibus, quae therapia generalis suppeditat, quietum reddi, tum morbi primarii radicem exstirpari oportet.

Plura de vomitu, a causis in ventriculo haerentibus nascente nobis dicenda sunt.

Vomitus idiopathicus.

Si talis vomendi causa est, quam convulsus ipse expellere possit ventriculus, iuvat vomitum

tepida promovere, non vero sistere. Sic venenum, aut res suspectae, bilis acris, post iram ventriculo illata, excitata, et promota per artem emesi, quam celerrime auferenda sunt. Aut si nimia iam foret agitatio ventriculi, venena notis antidotis destruenda, corrigenda, saltem tepida diluenda, vel remediis mucilaginosis, oleosis, et nisi acida rei ingestae indoles est, lacte involvenda sunt.

Vomitus a crapula, nisi sponte talis succedit, iterum tepida aqua, vel levi emetico promovendus est, quo interim sub opere cavendum erit, ne pleno protinus, aut ad utrumque ostium spasmodice contracto ventriculo emeticum immittatur inutile, aut huic iam nimis extenso infestum ingeratur, ac mobilis expelli tentetur materia. Summa in ciborum electu, et copia moderandis sollicitudo est ponenda.

Vomitum ab acido primarum viarum frequenter infantes offendentem, alkalina absorbentia, fel tauri, aliaque remedia ex classe amarorum facile sistunt. Si quem vomitus post pastum certo tempore adoritur, vitium ventriculi organicum coniiciendum est, quod curationem aegerrime recipit. Vitia talia externe tactu dignoscenda, secundum regulas, quas chirurgia exhibet, curanda sunt, sae-

pius opem admittunt, rarius vero ea, quae interiori ventriculi superficiei inhaerent, vitia localia removentur.

Remedia, quae talibus casibus saepe aliquid levaminis afferunt, sunt: potio Riverii, cum extracto hyoscyami, aqua laurocerasi, ex qua grana aliquot extracti belladonnae solvi iuvat, calomelas cum opio, adiunctis inunctionibus mercurialibus, denique moxa. Ubi materiae morbosae per metastasin in ventriculum revulsae sunt, vesicantia, aliaque remedia derivantia adhibemus. Vomitus a sensibilitate ventriculi morbosa exigit medicamina antispasmodica, ex efficacissimis eligenda, quibus medicamina aromatica, ac roborantia illa, quae ventriculo mobiliori egregie conducere experientia nos docuit, inserimus. His remediis sic dictis stomachicis adnumeramus: in genere potus, ac cibos gelidos, condimentum gelatum; tum ex classe tonicorum, aromatumque. Elixir vitrioli Mynsichti, acidum Halleri, placido cum Syrupo mixtum, corticem Winteranum, nucem moschatam, taliaque plura. Adeo lac morbosam ventriculi sensibilitatem corrigere experti sumus, praesertim si praeterea in balneis et clysteribus applicatur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Guilelmus Ioannes Palm natus sum Treviris diem XIII m. Decembris a. MDCCLXXXIV, patre optimo Casparo Palm, matre e gente Ulcheriana, qui optimi parentes litteris, quibus aetas puerilis impertiri solet, me instituendum curaverunt, quibus cum satis instructus essem, Philosophiae in Gymnasio Trevirensi operam dedi. A. MDCCCIII primis anatomiae, physiologiae, ac botanices rudimentis in schola centrali imbutus sum, Professoribus Clarissimis Dr. Schneider et Schmeltzer, eodem anno Universitatem Herbipolitanam petii, ubi Celeberrimi Schelling lectiones de philosophia naturali, deque aesthetice ea, qua par erat assiduitate frequentavi, nec minus neglexi scholis anatomicis beati Bartholomaei de Siebold et beati Hesselbachii interesse, physiologia, et pathologia

Celeberrimus Doellinger, semiotice et therapia tam generali, quam speciali Celeberrimus Friedrich, et Illustris von Hoven me instituerunt. Simul chirurgiae, et ophthalmiatricae duce beato de Siebold operam dedi, chemiae autem, et pharmacologiae, nec minus artis veterinariae cursum apud Celeberrimum Pickel et Rees absolvi, postea Bambergam me contuli, ubi ducibus Celeberrimis Doctissimisque Dr. Adalbert Marcus, et fratribus Gotthard, aegrotorum curam in clinicis tam medicis, quam chirurgicis in me suscepi. Anno elapso, convenientissimum duxi, Viennae studia medica absolvere, ac medicinam in policlinicis exercere. Iam suborto bello, ad academiam medico - chirurgicam accessi, examinibus publicis illic usitatis, me subieci, deindeque per totum belli decursum chirurgi in nososomiis exercituum in Italia bellum gerentium munere functus sum. Reconciliata pace, in patriam redii, nbi partim in nosocomiis operam meam praestiti, partim patri adstiti, usque ad annum MDCCCXIII, quo anno ex decreto praefecti ditionis Sarranae coactus sum, usque quoad Galli victas tradidere manus, munere medici militaris in exercitu fungi. Patria gloriosis Germanorum armis liberata, iterum curam militum tam internis, quam externis morbis laborantium in nosocomiis Trevirensibus in me suscepi. Iam orto bello secundo, consilio adductus Clarissimi Dr. Merrem,

Commissarii regii in provinciis transrhenanis, Düsseldorfium concessi, atque absente Illustri Goercke, partem supplementi veteribus legionibus scripti in Galliam comitatus sum.

Anno praeterlapso hanc inclytam musarum sedem adii, ubi virorum Illustrium et Celeberrimorum lectionibus hisce interfui: de encyclopaedia medica, et anatomia universa Illustris Rudolphi, de splanchnologia Illustr. Knape, qui viri Illustres etiam arte cadavera secandi in theatro anatomico me instituendum curaverunt, anatomiam comparatam, et physiologiam Illustr. Rudolphi mihi tradidit, pathologia, et therapia, ab Exp. Hecker institutus sum, chirurgiam generalem, et specialem Experientiss. Jüngken mihi exposuit, apud quem et cursum operationum ophthalmicarum, et chirurgicarum absolvi. Akologiam Celeberr. Bernstein, artem obstetriciam Clariss. Kluge, anthropologiam forensem Illustr. Knape et Celeberr. Rust me docuerunt, denique, ut medicinam, et chirurgiam ad aegrotantium lectulos exercerem, in clinico chirurgico Illustr. Graefe, et medico in nosocomio caritatis Clariss. Neumann per sex menses versatus sum.

Iam vero tentamine atque examine rigoroso coram Decano spectabili et gratioso medicorum ordine feliciter absolutis, spero fore, ut post hancce dissertationem rite defensam, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Febris causa proxima haudquaquam in arteriis ponenda est.

II.

Resorptio venosa minime est reiicienda.

III.

Animi mores corporis temperiem sequi.